Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31243
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">



87

in diebꝰ illis ut infirmata moreretur. Quam cum lauissent posu
erunt in cenaculo. Cum autem ppe esset lidda ab ioppe. discipuli
audientes quia petrus esset in ea. miserunt duos ad eum roga
tes. ne pigriteris uenire usque ad nos. Exurgens autem pe
trus. uenit cum illis. Et cum uenisset duxerunt illum
in cenaculum. & circumstetertunt illum omnes uidue flentes.
& ostendentes tunicas & uestes. quas faciebat dorcas.
Eiectis autem omnibus foras petrus ponens genua sua orauit.
conuersusque ad corpus dixit. Tabita surge. At illa aperuit ocu
los suos & uiso petro resedit. dans autem illi manum erexit eam.
& cum uocasset sanctos & uiduas assignauit eam uiuam. Notum
autem factum est per uniuersam ioppen. & crediderunt multi in dominum.
Eodem tempore misit herodes rex manus ut affligeret quosdam
de ecclesia. Occidit autem iacobum. fratrem iohannis gladio. Videns
autem quia placeret iudeis apposuit apprehendere & petrum. Erant
enim dies ahimorum. Quem cum apprehendisset misit in carcerem.
tradens quatuor quaternionibus militum custodire eum. uolens
post pascha producere eum populo. Et petrus quidem seruabatur
in carcere. oratio autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad
dominum pro eo. Cum autem producturus eum esset herodes. in ipsa noc
te erat petrus dormiens inter duos milites uinctus cathenis
duabus. & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce
angelus domini astitit & lumen refulsit in habitaculo carceris. per
cussoque latere petri suscitauit eum dicens. Surge uelociter.
Et ceciderunt catene de manibus eius. Dixit autem angelus ad eum.
Precingere. & calcia te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit
illi. Circumda tibi uestimentum tuum. & sequere me. Et ex
iens sequebatur eum. & nesciebat quia uerum est quod fiebat
per angelum. estimabat autem se uisum uidere. Transeuntes autem
primam & secundam custodiam uenerunt ad portam ferream que
ducit ad ciuitatem. que ultro aperta est eis. Et exeuntes pre
cesserunt uicum unum. & continuo discessit angelus ab eo. Et pe
trus ad se reuersus dixit. Nunc scio uere quia misit dominus
angelum suum & eripuit me de manu herodis & de omni ex
pectatione plebis iudeorum. His ita gestis surrexit quidam